



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

Capvt VI. Beneficia Dei, ab Aquis, ob quæ meritissimò eum fancti  
laudauerunt; & impatientes laudare deberent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

eo trahi, quò desideria præcesserunt. Desideria autem hæc, quemadmodum caelesti luce inflammantur, ita gliscere incipiunt nausèa tenebrarum; atque horrore caliginis efferuescunt.

CAPUT VI.

*Beneficia Dei, ab Aquis, ob qua meritisimò eum Sancti laudauerunt; & impatientes laudare deberent.*

§. I.

*Artificum, & instrumentorum varietas & usus.*



Vemadmodum lyræ vel eitharæ concentus efficitur longè dulcissimus, quâdo manus apta, ad nervorum eliciendos sonos, accedit, & fides ad rectam intentæ sunt proportionem; quòd si verò magister desit, aut fides laxatæ, necesse est, illam perire concianitatem; quippe & ars requiritur, & temperatio, sine qua nervi vel nullum, vel absurdū sonum edunt: ita DEVS ludit in orbe terrarū, Prou. 8. ita ipsi etiam terrarū incolæ homines. DEVS artifex est optimus, plectrum semper re-

ctè ducit, sed homines non sunt semper optima, & ad obedientiam facta instrumenta: vnde nec sonum illum edunt laudis diuinæ, quem eos edere oporteret. Quidam sancti etiam percussi, *eunt gaudentes, quoniam digni habiti sunt, pro nomine IESU, cōtumeliam patientes* atque in ipsa quoque exilia extrusi, suauissimè resonant, & canunt: *In exitu Israël de Aegypto, facta est Iudæa sanctificatio eius.* Nimirum qualis animus, talis sonus; respondetque menti vox; & *bonus homo, de bono thesauro profert bona: & malus homo, de malo thesauro profert mala.* Vis aliam audire citharam percussam & bene sonantem? Iudæi Apostolis *casus denunciauerunt, ne loquerentur in nomine IESU, & dimiserunt eos: & illi quidem ibant gaudentes; omni autem die, nō cessabant, in templo, & circa domos docentes, & euangelizantes Christum IESUM.* Dulcissimum hi sonum ediderunt, quia rectè, atq; ex lege diuinæ harmoniæ fuerant temperati. Optimum organum pulsatur, quisquis pulsatur patientem. Quòd si DEVS percūtiat, aut sine percūti impatientes, in quàm absurdos illi sonos erumpunt? quantis Diris naturam deuouent? *Hi autem quacunque quidem ignorant, blasphemant; quacunque autem naturaliter*

Act. 5. 41.

Psalm.  
113. 1.Matth.  
12. 35.Act. 5.  
40.

Iudic. 30.

ter, tãquam muta animalia, nõrunt, in his cor-  
rumpuntur. Hinc mala existit musica, quia  
ipsi sunt mala, & non ritè composita instru-  
menta; licet DEVS sit bonus citharœdus; &  
adeò bonus, vt etiam, ad suam iustitiam o-  
stendendam, in his ipsis vasis iræ, rectè lau-  
dabiliterque diuinæ artem exerceat sapien-  
tiæ. Bene enim sonat iustitia Numinis, licet  
malè resonet hominis impatientia. Sic con-  
tra punctum canitur. Quòd si verò iam ho-  
mines ipsos ludentes consideremus, canunt  
quidam benè, quia boni; malè alij, quia ma-  
li; tametsi præstantissima non illis modò,  
sed istis etiam instrumenta suppeditentur.  
Neque dubium est, exceptis prauis homi-  
nibus, optima esse omnia totius Mundi in-  
strumenta, in quibus omnibus, & David, &  
tres pueri, & alij Sancti Numen laudaue-  
runt.

§. II.

*Elementorũ terra & aqua consortium mirè  
artificiosum, & vtile.*

Inter hæc instrumenta, est tertia sublu-  
naris Mundi pars, aqua; & quarta tellus: quæ  
duæ partes, mirabili prouidentia, inter se,  
loci viciniâ, & elementi vtriusq; mixturâ,  
cohærent. Hoc coñubio omnia gignuntur,

I 2

quæ

quæ necessaria sunt, ad vitam hominis sustentandam. Aridus & sterilis pulvis esset terra, sicco cineri similis, nec frugis, nec ponderis quidquam ferre posset, farinae instar, ponderi cedens, si humectata non coalesceret. Aqua igitur eam humectat, estque ei in *glutinum*, ut ait Philo. Qui, alio loco, id etiã inter admirabilia ponit, his verbis: *Nonne prodigiosum videtur, id, quod dissolubile est, contineri à dissolutivo, videlicet terram ab aqua?* Nec contineri tantum, sed & fructiferum fieri, scilicet, *qui facit magna, & inscrutatilia, & mirabilia absq; numero*, ille etiam dat *pluviam super faciem terræ, & irrigat aquis universa*. Hoc beneficium ab aquis terra, & per terram, accipiunt mortales. Sed & vicissim terra aquas, & per has, mortales omnes, beneficio afficit, non solum dum eas sustinet; sed etiam quia aquæ, per canales terræ, limpidissime percolantur, extractaq; salsetine ex adustis exhalationibus commixtis nata, fiunt dulces, atque potabiles, & idoneæ ad germina, sine morfu, aut vredine, nutrienda. Fuere, qui *cunctorum originem esse dicerent, ignem & aquam*, apud Arnobium. In divinis legimus: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram*,  
sub

Philo in  
Cosmop.  
Idem lib.  
de plan-  
tat. Noë.

Iob. 5. 9.

Arnob.  
li. 2. contr.  
Gent.  
Gen. 2.  
20.

sub firmamento cali. Creauitq; Deus cetè grandia, & omnem animam uinentem atque motabilem, quam produxerant aqua in species suas, & omne volatile, secundùm genus suum. Quo loco, per reptile, pisces intelliguntur, qui pedibus destituti, quasi repunt. Estq; in mari rãta varietas, vt exprimat omne genus terrestrium bestiarum: tanta ad facilè conuentionem opportunitas, vt, Theodosio teste, *vnus nauis onera vix aliquot millibus iumentorum vehi possent.* Quanquam neq; fluuij sunt nauium impatientes; quorum nonnulli aurum arenis miscent. Itaq; si esurimus, alit nos aqua piscibus; potum præbet, si sitimus. Quin & si aurum, si margaritas quærimus, in illa reperimus. Si iter facturi sumus, vehit nos; & si quid est lutulentum, valet ad sordes abluendas; si quid intutum, ad ciuitates munienda, distinguendãsq; regiones, intercurrit. Neq; hortos quidquam magis animat, quàm aqua, in omnes delicias hinc de petra, inde de mensa, alibi de concha, vel de statua, salacissimè salientes. Quod si quis ægrotet, vel acidulas habet, vel thermas, quibus restauretur. Quocirca, vt puteum quondam Patriarcha *abundantiam*, ita nos omnes aquas beneficiorum diuinorum ab-

Theod.  
ser. 2. de  
prouid.  
sub finè.

Gc. 26. 33.

*undantiam* possumus appellare. De quarum utilitatibus ac laude prolixè agit Petrus Damiani, Vitruuius, & Lælius Bisciola. Illud prodigij loco haberetur, nisi quotidiana experientia in contemptum veniret; quòd aqua aère multò grauior, tamen supra aère ascendat, & in sublimi suspensa feratur, volitetque, plumæ aut lanæ instar. Quam ob

**Iob. 26. 8.** causam à Iob DEVS laudatur, tanquam ille sapientissimus artifex. *Qui ligat aquas in nubibus suis: ut non erumpant pariter deorsum.* Vbi mihi videtur Iob nubes non tantùm considerasse, tanquam fœcundas pluuiarum matres; sed etiam, ut quædam picturata, & auro relucencia tapetia, velæque soli operansa, ad optatam hominibus extra tectaverfantibus umbram iniiciendam: quod vix magnis sumptibus, in theatro Romano, legimus impetratum.

## §. III.

*Aquarum aestimatio apud Romanos.*

Ob has aquarum utilitates, vel necessitates, vel iucunditates, nulli mortales sumptuum nulli labori parcunt, ut in vrbes, vicinias, domusue suas deriuentur. Hinc tanta, per aquæductus, Romæ olim, aquarum vberitas influebat, ut, per urbem atque cloacas

Strabo,  
lib. 15.

toti annes inundare viderentur, & vniuersa propemodū ædes, subterraneos meatus, siphones ac fistulas venosas haberent. Quorum accuratissimam diligentiam M. Agrippa egit, qui urbem pluribus alijs monumentis adornauit. Vnde, apud Suetonium, Augusti jocus, flagitante vini largitionem populo: *Satis ab Agrippa genero suo prospectum dicentis, ne populus sitiret.* Plinium audiamus. *Clarissima, inquit, aquarum omnium, in toto orbe, frigoris salubritatisque palma, praconio nobis Roma Marcia est, inter reliqua, Deum munere urbi tributa. Vocabatur hac quondam Aufeia, fons autē ipse Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum, transit Marsos, & Fucinum lacum, Roma non dubiè petens. Mox specu mersa, in Tiburtina se aperit IX. M. Pass. fornicibus structis perducta. Primus eam in vrbe ducere auspicatus est Ancus Marcius, vnus è regibus. Postea Quintus Marcius rex in praterra. Rursusque restituit M. Agrippa. Idem & VIRGINEM adduxit ab octauilapidis diuerticulo II. M. passuum, Pranestina via. Iuxta est Herculaneus riuus, quem refugiens Virginis nomen obtinuit. Horum omnium comparatione differentia supradicta apprehenditur, cum quantum Virgo tactu, tantum*

Plin. lib.  
31. cap. 3.

praestet Marcia haustu. Quanquam utriusque iam pridem urbi perijt voluptas, ambitione, avaritiâq; in villas ac suburbana decoquentibus publicam salutem. Hæc ille. De nostra ætate nihil attinet dicere. Oculi nobis dicunt, quanti fiant aquæ. Vino facilius careremus, & ab aquis homines fieri vigilantiores, dulcioribusque somnis, quam vini potores, frui, docet Philostratus.

Philo-  
strat.  
lib. 2. de  
vit. Apol-  
lonij.  
cap. 14.

## VI.

*Aqua commendatio, est hostilis aqua sub-  
ductio.*

Pretijs porrò aquarum, vel inimici, aut hostes subscribunt; qui, cum aquas auertunt, aut auferunt, plurimum se auferre arbitrantur. Isaaco invidentes Palestini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore, obstruxerunt, implentes humo. Rursum fodit alios puteos, quos foderat serui patris sui Abraham, & quos, illo martuo, olim obstruxerat Philisthim, appellavitq; eosdem nominibus, quibus antea pater vocauerat. Foderuntq; in Torrente, & repererunt aquam viuam. Sed & ibi inurgiū fuit pastorum Gerara, aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei, ex eo, quod acciderat, vocauit calumniam. Foderunt

Gen. 26.  
15.

antē & alium: & pro illo quoq; rixati sunt, ap-  
 pellavitque eum inimicitias. Profectus inde fo-  
 dit alium puteum, pro quo non contenderunt.  
 Itaque vocavit nomen eius, Latitudo, dicens:  
 Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere  
 super terram. Pro re leui nō contendunt, nisi  
 leues. Hic inter grauíssimum Patriarcham,  
 & inter Abimelech regem, ac Philistæos, de  
 puteis lis toties mota est. Apparet igitur vel  
 hinc, magnum eos, in puteis momentum  
 posuisse. Quod etiam fuit videre, in Holo-  
 ferne Bethuliam obsidente, qui, dum circuit  
 per gyrum, reperit, quòd fons, qui influebat, a-  
 queductum illorum, a parte Australi, extra ci-  
 uitatem dirigeret; & incidi precepit aqueductū  
 illorum. Erant tamen non longè a muris fontes,  
 ex quibus furtim videbantur haurire aquam  
 ad refocillandum potius, quàm ad potandum.  
 Sed filij Ammon & Moab accesserunt ad Ho-  
 lofernem, dicentes: Filij Israël, non in lancea,  
 nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt  
 illos, & muniunt illos colles in precipitio consti-  
 tuti. Vt ergo, sine congressione pugna possis su-  
 perare eos, pone custodes fontium, ut non hau-  
 riant aquas ex eis; & sine gladio interficies eos:  
 vel certe fatigati tradent ciuitatē suam, quam  
 putant in montibus positam superari non posse.

Judith. 7.

60. 2. 1111  
 61. 019

60. 1111

I 5

Et

Et placuerunt verba haec, coram Holoferne, & coram satellitibus eius, & constituit, per gyrum centenarios, per singulos fontes. Cumq; ista custodia, per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisterna, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset, intra civitatem, unde satiarentur, vel una die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie. Eiusdem modi historijs strategematū libri sunt pleni; è quibus perspicuum est, magnum esse, in aquis, beneficium, grande momentum: quod tantò pluris ut fiat, sinit DEVS homines, negatione aquæ, intelligere. Valde enim charum nobis debet esse, quo tam ægrè caremus. Deniq; id, ubi deest, summo labore atq; sumptu, effossis puteis, quærimus; quod passim alibi, & totis riuus fluuijsq; diuina nobis bonitas largitur.

## §. V.

Aqua bis à Moyse data, duplicis fontis à Christo nascente & moriente dati, figura.

Num. 20.  
9.

Quamobrem & ipsi sancti beneficia præstituri, fontes aperuerunt. An non enim tulit Moyses virgam, qua erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudo, ante petram, dixitq; eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eyc-

*sycere? Cumq̄, eleuasset Moyses manum, per-*  
*cutiens virga bis silicem, egressæ sunt aqua lar-*  
*gissima, ita ut populus biberet, & iumenta. Erat* **Exod. 17,**  
*autem hæc alia petra, & alia percussio ab* **6.**  
 illa, quæ in Exodo memoratur. Hæc enim  
 facta est, in Raphidim, juxta *Sinai*, anno  
 primo vel secundo, post egressum ex *Ægy-*  
*pto*; illa autem altera, in deserto *Sin*, apud  
*Cades*, sub initium anni quadragesimi, post  
 exitum ex *Ægypto*. Igitur bis hoc benefi-  
 cium prodigiosum præstitit populo *Moyses*;  
 sicut & alter *Moyses* *Christus*, à quo, ceu  
 fonte perenni, aut jugi aqua, omnium cœle-  
 stium & terrenorum beneficiorum, itidem  
 legimus, duos vberriimos ac saluberrimos  
 fontes nobis excitatos: à nascente vnum,  
 alterum à moriente. Vt enim de dulcissimis  
 & diuinissimis fontibus lachrymarum ni-  
 hil dicam, nascēte in spelunca *Christo*, in-  
 bi, ad ea, quæ, vsus quotidianus poscebat, è  
 petra fluxit aqua, quæ nunquam fugit, neq;  
 potuit exhauriri; mansitque diutiùs diuinæ  
 virtutis egregium monumentum. Siquidē  
 adhuc *Bedæ* tēporibus, vigeat cunctis per-  
 spicuum & venerandum tantę rei prodigiū.  
 Quod ipse à teste, qui hæc viderat, sanctissi-  
 mo *Episcopo* acceptum, his verbis, scriptis  
 man-

Beda de  
locis  
sanctis. c. 8.

mandauit. *Hac spelunca tota interiùs speciosa marmore tecta, supra ipsum locum, ubi Dominus natus specialiter traditur, S. Mariam grandem gestat Ecclesiam. Petra, juxta murum, canata primùm Dominici corporis lauacrum, de mura missum suscipiēs, hactenus seruat: quasi qua fortè occasione, vel industria fuerit exhausta, nihilominus continuò, dum respicit, sicuti antè fuerat plena, redundat.*

Ioan. 19.  
34.

Hunc fontem dedit salutis nostræ fons; cum viuere cœpit, postquam viuere desijt, alium nobis fontem donauit. Siquidem *unus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua.* Vigilanti verbo Euangelista usus est, ait

S. Augustin.  
tract. 120.  
in Ioan.

S. Augustinus, *ut non diceret: Latus eius percussit, aut vulnerauit, sed aperuit; ut illic uitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesie manârunt. Hoc & prænuñciarat, quod Noë, in latere arce ostium facere iussus est, quò intrarent animalia, qua non erant diluuiò peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia.* Dignatus est

Ioan. 4.8.

Seruator ad Samaritanam dicere: *Da mihi bibere;* cumq; illa tergiuersaretur, respondit IESVS, & dixit ei: *Si scires donum DEI, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.* Mirum est, tot homines non dignari petere hau-

stum

stum à Christo, & à Christo propinante ac  
 inuitante, imò *aquam vinam* promittente.  
 Nam profectò talem in SS. Eucharistia hau-  
 stum propinat; haustum è latere suo pro-  
 fluentem. Itaq; , *quia hinc suscipiunt principiu*  
*sacra mysteria*, inquit S. Chrysofomus;  
*cùm accesseris ad tremendum calicem, quasi ab*  
*ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas.* Vt au-  
 tem videamus, eum non solùm dedisse,  
 fontes salubritate, atque in medendis cor-  
 poribus nobiles, sed dedisse tunc, cùm caus-  
 sas habuit negandi: tunc aquæ & san-  
 guinis fons, in latere eius, est ruptus, cùm  
 homines illi, in potum fel & acetum porre-  
 xissent. Ita absinthia nostra nectare suo cõ-  
 pensauit.

§. VI.

*Alij fontes à Christo donati, Romæ, in AE-*  
*gypto, in Emmaus.*

Quin & alios salutare à Christo fontes  
 promanasse, probæ authoritatis scriptores  
 tradiderunt. Nam, sub eius Natiuitatem,  
 vt scribit Eusebius, Romæ, è taberna meri-  
 toria, trans Tiberim oleum, è terra, erupit;

Euseb. in  
 chron.

*Quo signo, ait Orofius, quid enidentiùs, quàm*  
*in diebus Cesaris, toto orbe, regnantis, futura*  
*Chri-*

Orof. hist.  
 lib. 6, cap.  
 19.

Christi natiuitas declarata est? Christus enim vnctus interpretatur. In Ægypto quoq; nobile monumentū habitationis suæ Christus adhuc admodum puer reliquit; quod & ab alijs traditur, qui eò sunt peregrinati, & Burcardo sic describitur: *Inter Heliopolim & Babyloniam, medio fermè loco, est balsamihortus. Et post multa: Rigatur hortus ille ex paruo fonte, sed ubere, in quo fama est, B. Virginem IESVM paruulum pluries lauisse, panniculosq; eius mundasse, cum esset in Ægypto, propter metum Herodis: est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsicasse. hac omnia venerantur à Christianis & Saracenis. Neq; puer magis, quàm adultus, fuit, in fontibus sacrandis, munificus Redemptor. Est vrbs Palestina, ait Sozomenus, quæ iam Nicopolis dicitur, cuius quidem tum pagi (sic enim iam tum fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionem, eamq; Emmaus appellat. At Romani, capta Hierosolyma, & parta contra Iudeos victoria, eam Nicopolim nuncupabant, nomine, ex uentu belli imposito. Ante hanc urbem, prope triumum, in quo Christ⁹, propter resurrectionem à mortuis, cum Cleopha incedens, simulabat, se ad alterum pagum properè contendere, est fons quidam salutaris, in quo non homines modò, qui*

Burcard.  
in de-  
script  
Terræ. S.  
part. 2.  
cap. 4.

Sozom.  
hist. lib.  
5. c. 20.

grotant, loti curantur, verum etiam animalia, que varis morbis laborant. Nam ferunt, Christum, una cum discipulis, quodam tempore, e via, ad fontem illum diuertisse, in quo eo lauisse pedes, & aquam ex eo tempore vim medendi morbis habuisse. Hoc Iosephus naturali aquarum virtuti potius, quam miraculo tribuens ait: *Ammaus* (est idem quod Emmaus) si quis nomen interpretetur, aquae Calidae vocantur. Ibi enim eiusmodi fons est, sanandis corporum vitis idoneus. Quia tamen Plinius author est, Emmauntē pluribus fontibus fuisse irriguam; idcirco, in aliquo ipso, ab alijs diuerso, quod scribit Sozomenus facile potuit contingere; ut obseruat Cæsar Baronius. Quod si hæc vis medendi, à lotis Christi pedibus accessit ad fontem Emmaus; quantā vim inesse arbitrabimur illi fonti, qui ex oculis Magdalene exiit, & Christi pedes, calidissimis lymphis, tam honorifice irrigauit? Quanquā & illius fontis author Christus fuit; sicut & omnium, e contrito corde erumpentium lachrymarum: quarum vis penetrat usque ad animas peccatorum sanandas. Mirum est, quosdam esse tam sicculos, & sicut terram sine aqua, ut ne vnam quidem possit ab eis Moyses iste lachrymulam impetra-

re,

Ioseph.  
de bello.  
Iud. lib. 4.  
cap. 1.

Plin. nat.  
hist. lib.  
5. cap. 14.

Baron.  
An. Christi.  
34.

Luc. 7.

re, qui vel è pumice potest aquã eijcere. Et quia *lachryma poenitentiu, sunt vinum Angeloru*, plus est vtique, in fletu liquefieri peccatorem, quàm aquam in vinum conuerti.

## §. VII.

*Aqua aliquoties in vinum versa gloria.*

S. Hiero-  
nym. lib.  
de loc.  
Hebr.

Isa. 9.

S. Epi-  
phan.  
hæres. 55.

Quanquam neque hac ratione abstinuit benefacere mundi Reparator. Siquidem in Cana Galilææ, oppido, vt tradit S. Hieronymus, posito in Galilæa Gentium, primū omnium miraculum Christus patrauit, cum aquam permutauit in vinum, vt dudum Isaias facturū prædixerat. Quod, sexto die Ianuarij factum, non solum testatur Ecclesia, quæ eum diem hoc nomine, celebrè habet, sed & complura miracula, varijs locis, solita exhiberi, de quibus S. Epiphanius, hæc habet. *Post annos triginta factum est primum miraculum, in Cana Galilææ, quando aqua facta est vinū. Quapropter & in multis locis, vsq; in hunc diem, hoc fit, quod tunc factum est, diuinum signum, in testimonium incredulis: velut testantur, in multis locis fontes ac fluij in vinum conuersi. Cibyres quidem vrbes Carie fons, qua hora hauserant ministri, & ipse dixit: Date architriclino. Testatur & in Gerasa Arabia fons similiter. Nos bibimus de Cibyris fontibus fratres*

fratres verò nostri de eo, qui est in Gerusa, in  
 martyrum templo. Sed & multi, in Egypto, de  
 Nilo hoc testantur. Quare in undecima Tybi  
 (mensis, quæ lux est apud nos sexta dies Ia-  
 nuarij) apud Egyptios omnes hauriunt aquã,  
 & reponunt, tum in ipsa Egypto, tum in  
 multis regionibus, & c. Hęc Epiphanius. Hanc  
 causam cum accolæ ignorarent, Baccho id  
 beneficium suo tribuerunt, cui & idcirco  
 fanum struxerunt, in Andro; vbi, Plinio te-  
 ste, in templo Liberi patris, fontē nonis Ianuarij  
 (vno die ab Epiphanio discrepat) vini sapore  
 fluere, Mutianus ter Consul tradit: Diotecno-  
 sia vocatur. Similes his accolis sunt multi,  
 qui non aqua modò, sed & vino suauissimo  
 munificentissimè donati; beneficium haud  
 Deo, sed diuitijs suis ascribunt, immemores,  
 ipsas se diuitias à Deo accepisse; quibus vina  
 comparant; nec vnquam soliti mentionem  
 facere de fontibus Saluatoris. Qui beneficijs  
 grati sunt, agnoscunt benefactorem. Neq;  
 enim in nuptijs tantum, aut in illis fontibus  
 hoc prodigium Christus patrauit, sed  
 etiam alijs temporibus. Siquidem Cranzius  
 memorat, Isfridū Raceburgensem, in Van-  
 dalia, Episcopum, miracula etiam non cogi-  
 tantem expertum esse. Iusserat is, sacra die

Plin. nat.  
 hist. lib. 2.  
 cap. 103.  
 & lib. 4. c.  
 12.

Cranz.  
 lib. 6.  
 Metrop.  
 cap. 40.

K

Para-

Parasceues, à ministro aquam afferri, potest gratia. Allatam gustavit, toruoque vultu. *An non, inquit, iussi, ut aquam afferres, non vinum? Territus ille, sanctè affirmavit, aquam se attulisse de fonte. Iussit iterum haurire, & tertium haurire, semper, aquæ loco, vinum est apportatū. Tum resolutus in lachrymas, oculos in cælum sustulit, inquiens: Quando tua voluntate, mirifice Creator, creatura mutatur, cedo, quia jubes. Ecce in die passionis Filij tui, sumo, quod præstas. Monstrant hodie fontem, juxta domum thesaurariæ in Raceburgo, vnde hausta fuit aqua, eo die, in vinum versa à Christo, quo ipse fel in potum à mortalibus accepit.*

## §. VIII.

*Aqua Baptismo & Christi ipsius contactu consecrata.*

Enim verò aquas Christus honoravit non solum, quando eas, ad nuptias invitatus, alijsque locis, in vinum conuertit: sed etiam quando, suscepto à Ioanne baptizante, Jordanis fluenta consecravit; itemque, quando, quarta vigilia noctis, venit ad discipulos ambulans super mare, pedibus eius se permittens calcari, tanquam marmor solidum: & quando olim, quotannis, clarissima illa miracula

repe-

S. Maxim.  
im. ser. de  
Epiphania.  
Matth.  
74. 25.

repetiuit; dum plerisque in locis orbis occidentalis, Paschali tempore, quo solenne baptisma, in Ecclesia, peragi consuevit, e sicco aridoq; fonte lapideo copiosum ad baptismi usum aqua exundare consueverunt. Potest huc etiã merito suo referri ille fons, qui, teste S. Hieronymo, ad radicẽ montis ebulliens, ab eadem, in qua gignitur, sorbetur humo. & Apostolorũ Acta referunt, Eunuchũ Candacis Reginae Ethiopũ, in hoc esse baptizatum à Philippo. Maxime verò ad hunc censum pertinet fons, qui, in Mamertino carcere Apostolorum Petri & Pauli, Romæ, ad baptizandos eorum custodes, Processum & Martinianum, diuina virtute, è petra promptissime erupit. Admiratione enim digna res est, eundem illic fontem, in hanc usq; diem perseuerare, non tantum rerũ ibi gestarum memoria nobilem, sed perenni illustrem miraculo: quippe positus, in medio carceris strati prægrandibus Tiburtinis sibi inuicem inherentibus, è perforato saxo, altitudine cubitali tantummodo, & palmi vnus, vel circiter latitudine, sic aqua scaturit, vt nec foras exundet; nec quantumlibet hauriatur, vnquam siccetur. Notissimum est eius rei experimentum, dũ, certis anni diebus, quibus carcer ille, religionis ergo inuisitur, totius urbis concursu, & fideles inde

Cæs. Bâron. Anno Christi. 31.

S. Hieronym. de locis Hebr.

Sur. 2. Iulij.

Cæs. Bâron. Anno Christi. 68. n. 27.

*hauriunt aquam, & potant, & tamen fons in-  
deficiens perseverat.*

§. IX.

*Varius, in rebus sacris, aquæ usus spiri-  
tualis.*

Fontem hunc D. Petrus, qui prædictos, in  
carcere, milites ad Christum conuertit, pre-  
cibus à D E O impetrauit, tanto maiore be-  
neficio, quia, eo saliente, & sitis est restincta,  
& extincta sunt peccata baptizatorū. Quæ  
sanè non minima dignitas est aquæ, esse  
scilicet instrumentum, per quod animæ ex-  
pianantur, & gratiæ cælestis in eas vita infun-  
ditur. Neque in baptismo tantum usus hic  
aquæ sacer fuit. Siquidem consueuerant anti-  
qui Christiani etiam, ante precationem, ma-  
nus abluere. Ad quem morem alludens Pau-  
lus ait: *Volo viros orare, in omni loco, leuantes  
puras manus.* Et apud Clementem legimus, *ut  
Christianus lotus oret*; significabat scilicet  
ea lotio manuum, operum & conscientiam puri-  
tatem. Qua de causa Tertullianus ait: *Quæ  
ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero  
sordente, orationem subire?* Postea in eiusmodi  
lauacri locum successit, ut aqua sacerdo-  
tis precibus benedicta (quæ fidelibus vsui  
esse consueuerat, in eorum domibus, ut A-  
lexan-

1. Tim. 2.  
Clem.  
lib. 8.  
Constit.  
c. 38.

Tertul-  
lian. de  
orat. c. 11.

Alexandri Papæ res gestæ significat) in ipso ingressu Ecclesiæ poneretur, qua, ad leuiorum peccatorum expurgationem, ad euntes Ecclesiam aspergerentur. Quod etiã domi facere, vtilissimum plurimi experiuntur. Quæ maxima est aquæ gloria, non ad corporis duntaxat, sed, & ad animæ sordes abluendas, eam adhiberi. Maior tamen adhuc dignitas est, in sacrificio missæ, vinũ non nisi aqua mixtũ offerri, ex Dominica traditione, ac more totius Ecclesiæ Christianæ, vt S. Cyprianus testatur. Nec vtriq; aliter fecit, in vltima cœna, Christus, qui, tanquam temperantiæ exemplũ, censendus est, vinum aquã miscuisse. De his sacris fontibus intelligit D. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus illud Ioëlis, de Christo vaticinantis: *Filij Sion exultate, & letamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio. Et implebuntur area frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.* In quæ verba ita scribit Cyrillus: *Sciendũ secundum mysticum euentum promissionem verã esse. Data est nobis, ceu in pluvia, A QVA VIVENS SACRI BAPTISMATIS; & tanquam in frumento, panis viuus; & tanquam*

S. Cyprian Epist. 63. ad Cæcil.

S. Cyrillus in Ioel. cap. 2.

in VINO SANGVIS. Accessit item v-  
sus OLEI, qui, per sacrum BAPTISMA,  
in Christo justificatis, ad consummationem con-  
ferret. Fontes ergo sunt sacramenta, & in-  
ter hos aqua vina sacri baptismatis, vnde di-  
uina in homines gratia dimanat.

## §. X.

*Sitis, miraculosa aquarum Largitione à San-  
ctis restincta.*

Hæc magna aquarum ornamenta bene-  
ficiaque esse, quis neget, vsque ad spiritum  
animamque penetrantia; cum magni fiant  
alij Sancti, qui vel ad sitim corporis duntax-  
at restinguendam, Moysem imitati, aquas æ-  
stuantibus fontesque sunt diuinitus largiti?  
Recens est, quod de S. Isidoro Hispaniæ co-  
lono, ex historia vitæ atq; imagine illius di-  
dicimus; cui idem fuit, scipione terram &  
fontem eruere. Refert Nicephorus, Dona-  
tum Eureæ, in Epiro, antistitē, cum aliquan-  
do, ex itinere fessus, comites aquæ penuria  
languentes conspicatus esset; primùm DE-  
VM precatum, deinde terram manu fodis-  
se, atq; illico fontem aquæ viue produxisse,  
quæ viæ comites ad itineris laborem recrea-  
uit. Quod hic manu, Antoninus (martyr A-  
pameæ passus) virgâ fecit, quâ vbi humum  
per-

Niceph.  
lib. 12.  
cap. 45.

Marul.  
lib. 4.  
cap. 2.

percussit arenam, nec vllis aquis rigatam, illico fons exiliit, cui<sup>9</sup> potu refocillatus, iam hilarior ad martyriū cucurrit. Idem præstitit Basolus Rhemensis Abbas, in Gallia<sup>e</sup> partibus, dum montē solitarius incolet, nec aquā haberet, fontē precando de rupe elicuit. Quod hi pro se fecerunt; idem alij impetrarunt, in gratiā aliorum. Nā D. Franciscus, dum rustici cuiusdā sitim, in solitudine, miseratur, oratione terram dirupit, e cuius vulnere, in vicem sanguinis, fons emicuit, cuius haustu, qui moribundus sicco ore vix anhelabat, restituit<sup>9</sup> sibi, saluē vixit. Cū Haimo dux, in venatione immodicē siti- ret, tetigit baculo terram Iodocus monachus, & reddita est illi extemplō aqua, ex arido solo; quasi ad cellam pulsasset, aut tanquam si doliū perfodisset. Dedicabat Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiam quandam, magna hominū multitudine confluyente. Defecit populo sitienti aqua; pedo igitur terram verberavit; & quasi testam aqua plenam rupisset, ita mox fons copiosus sese effudit, qui à Vincentio scribitur hodiernum vsq; in diem manare, vt nomen quoque Dunstani largissimē dimanet, per orbē. Quid longē excurrimus, cūm cele-

idē ibid.

ibid.

Petrus  
de  
Natalibus  
lib. 1, cap.  
65.  
Vincēt. 1.  
24.

berrimos eiusmodi fontes, in vicinia nostra, habeamus? S. Corbiniani Frisingæ, S. Wolfgangi Ratisponæ; trium Exulū ad pagū Oettingam? Ac, ne oleum desit, laudatissimum manat S. Quirini, in Degernsee; & Eichstadij S. Walpurgæ. Sed neq; ille fons mihi tacendus est, quamuis longè petendus, qui ab Edinburgo Scotiae vrbe, plus minus duobus passuum millibus, scaturit, cui lucidissimi olei guttæ innatant, eâ mensura & numero, vt, si nihil inde collegeris, nihil plus confluat: quantumuis autem abstruleris, nihilo minus remaneat. Natum esse aiunt, effuso illic oleo D. Catharinæ, quod ad D. Margaritam, ex monte Sinai adferebatur. Fidem rei faciunt, fonti nomen D.

Catharinæ inditum; atque in eiusdem honorem sacellum iuxta, D. Margaritæ iussu, ædificatum. Valet id oleum, cōtra cutis scabritiem. Nempe, quia D. Catharina fuit vna ex prudentibus virginibus, quæ exeuntes

**Matth. 25.** *obuiam sponso & sponsa acceperunt oleum in vasis suis, cum lampadibus: idcirco voluit & illam, oleo ad sepulchrum appposito, oleoque à sepulchro eius ablatō diuinus Sponsus illustrare. Similia extant complura; quorum*

**Egnat. l. 8.** vnum Egnatius recenset de Narcisso Hieroso.

rosolymitano Episcopo: qui, cùm, Pascha- cap. 19  
 tis festo die, oleum defecisset, aquam, loco  
 olei in vsum luminum infundi iussit. Quæ,  
 quàm primùm in oleū versa, sic accensa est,  
 vt omnibus spectaculo esset. Neq; finis fue-  
 rit, si aut olei, aut aquarum fontes saluber-  
 rimos, vel solius Germaniæ velim comme-  
 morare. E quibus satis fit clarum, miraculū  
 Moysis, rupem in laticem soluentis, *oleumq;*  
*de saxo durissimo* elicentis; sapiūs fuisse, etiā  
 apud nos Christianos, restauratum. Quibus  
 miraculis aquarum gloria, præstantiaque  
 diuinitus commendatur.

## § XI.

*Martyrium aquis consecuti Sancti.*

Nec mirabiles duntaxat fuere Sancti,  
 dum sitientibus aquæ potum præbuerunt,  
 sed longè mirabiliores, quando non solūm  
 aquas frugalissime, in Eremo, atq; inter diu-  
 turna ieiunia; sed etiam cùm eas adeò copi-  
 osè hauserunt, vt suffocarentur. Clariūs lo-  
 quar. Aquæ martyres fecerūt; & martyrijs  
 sunt consecratæ. Colit, ob id, Clementem  
 Romanum quotannis Ecclesia, quem sub-  
 mersum mare ipsum coluit, ad Angelicum  
 illius sepulchrum adituris se reducens, atq;  
 iter patefaciens. Leguntur præterea & alij  
 Marty-

Martyres, per aquam, ad cælum transijſſe, vt Afcla, Anaſtaſius Aquileienſis, Florianus, Heſychius, ſub Diocletiano; Theogenes, ſub Licinio; Claudius Tribunus, ſub Numeriano; Callixtus Papa, ſub Alexandro Seuero, Symphoroſa, ſub Adriano: item Apolloni-  
us, Baſſus, Antonius, Philemō, Pro-  
tolycus, apud Alexandria, Callixt<sup>9</sup> & Cha-  
riſius, apud Corinthum: Iucundianus, in  
Africa; Palatinus, Maxima virgo, Chriſtina,  
& alij, ſine numero, Chriſti cauſa in aquas  
proiecti, per compendium ad portum cæ-  
leſtem peruenerunt; docueruntq; non vir-  
tutes tantum, ſed etiã beatas mortes poſſe  
haberi aquarum occaſione.

## §. XII.

*Varie artes, in aquis aut per aquas fa-  
ctitata.*

Quòd ſi artes percurrere libeat, quæ vel  
ſine aquis nullæ ſunt; vel ab aquis pluri-  
mum iuuantur, in Oceanum quendam hi-  
ſtoriarum intrabimus. In aquis exercentur ar-  
tes natandi, piſcandi, nauigandi, bellandi,  
molendi, medendi. Vnicum, de medica vi-  
aquæ, apponam exemplum, quo docetur,  
Apolloniũ, non alia, quàm medica arte, ſa-  
nauiffe adoleſcentem, quem rabioſus canis  
mo-

Agricola.  
l. 2. de ef-  
fluentib.  
è terra  
Sen. 3.  
nat. 99.  
Procluf.  
lib. 2. c. 3.

momorderat, postquam scilicet is *haustam* ex Cydno aquam bibit. Neq; verò canis curationem neglexit Apollonius, ait eius laudator, sed pro illo sanando, fluvium precatus (en simulationem impostoris) in eum coniecit canem.

Is verò fluvium ingressus, cum in eo natans aliquamdiu moratus esset, in ripa consistens ululavit, quod rabiosi canes facere non consueverunt; & auribus demissis, caudam vibrabat, tanquam & ipse conualuisse se agnosceret. Medicamentum namq; rabiei est aqua, si eam attingere rabiosus audeat. Repertæ sunt & aliæ artes, aquam in mensa, & è ferculo excitandi, atq; in altum jaculandi; ducendi per ardua montium; adhibendi, per siphones, ad alta incendia, sine scalis, attingenda restinguendaq; enim, verò ad expellendos è fistulis æneis globos, vice ignium: atque vt cæteras omnes præmittam, illud non silebo, quod Proclus Geloni regi, plures autem, cum Vitruvio, Hieroni tribuerunt; qui tradunt Hieronem, Syracusis, regia potestate auctum; cum, rebus benè gestis, auream coronam, dijs in quodam fano, votivam constituisset ponere; immensi pretio locauisse faciendam, & aurum ad sacoma appendisse redemptori. Is, ad tempus, opus manu factum subtiliter regi approbavit.

Vitruui.  
lib. 9. cap.  
3.

Philo-  
strat. l. 6.  
de vit. A-  
pollon. c.  
18.

Vitruu.  
lib. 9. cap.  
3.

bauit, & ad sacoma pondus corona visus est pre-  
 stitisse. Posteaquam indicium est factum, de opo-  
 auro, tantumdem argenti in id coronarium opo-  
 admixtū esse. Indignatus Hiero. se contemptum,  
 neq; inueniens qua ratione, id furtum depre-  
 henderet, rogauit Archimedes, uti in se sume-  
 ret sibi de eo cogitationem. Tunc is, cum habere  
 eius rei curam, casu venit in balneum: ibiq;  
 cum in solium descenderet, animaduertit, quan-  
 tum corporis sui, in eo, desideret, tantum aquae  
 extra solium effluere. Itaq; cum eius rationem  
 explicationis ostendisset, non est moratus, sed  
 exiliuit gaudio, motus de solio, & nudus vadens  
 domum versus, significabat clara voce, inuenisse  
 quod quereret. Nam currens identidem Graecae  
 clamabat, εὕρηκα, εὕρηκα. Tunc verò ex eo in-  
 uentionis ingressu, duas dicitur fecisse massas  
 quo pondere, quo etiā fuerat corona, una ex au-  
 ro, altera ex argento. Cum ita fecisset, vas am-  
 plum, ad summa labra, impleuit AQVA, in qua  
 demisit argenteam massam. Cuius quanta ma-  
 gnitudo in vase depressa est, tantū aqua effluxit.  
 Ita, exempta massa, quantum minus factum fue-  
 rat, refudit, sextario mensus, ut eodem modo  
 quo prius fuerat, ad labra aquaretur. Ita ex  
 inuenit, quantum ad certum pondus argenti  
 certa aqua mensura responderet. Cum id expe-

tus esset, tum auream massam similiter pleno vase demisit, & ea exempta, eadem ratione, mensura addita, inuenit, ex aqua non tantum defluxisse, sed tantum minus, quantum minus magno corpore, eodem pondere auri massa esset, quam argenti. Postea vero, repleto vase, in eadem aqua ipsa corona demissa, inuenit plus aqua defluxisse in argenteam, quam in auream, eodem pondere massam: & ita ex eo, quod plus defluerat aqua in corona, quam in massa, ratiocinatus, apprehendit argenti, in auro mistionem, & manifestum furtum redemptoris. Hæc Vitruuius. Alij alia narrant artificia aquarum, in quibus vrinatores, Chymici, Mathematici, & quidquid est hoc hominum genus, ætatem, tempus, ingenium terunt, & vel gloriam, vel famam, vel pecuniã quærunt. Plura de aquarum mirabilibus lectu jucunda conscripsit Plinius, Frontinus, & Cyrillus Hierosolymitanus. In compendio Socrates, postquam docuit, pretiosa tantum esse, quæ rara, coronidis loco, adiecit, rectè tamen dixisse Pindarum, aquam optimam esse, licet vilissimo pretio, ad dicatur, passimq; habeatur. Atque hoc ipsum est maximè æstimandum: rem tam utilem, tam jucundam, tam necessariam; tamen passim, & sine vlllo pretio, occurrere; hoc est.

Plin. l. 2. c.  
103. & lib.  
31. ab ini-  
tio.  
Frontin.  
li. 1. de a-  
quædu-  
ctibus.  
Cyrill.  
Hieroso-

sine

lym. Ca- sine pretio, esse pretiosam. Atque vt videat  
 tech. 3. esse pretiosam; aquâ cælum potest emi. Hoc  
 Plat. in ipse significat cæli Conditor, dum ait: *Qui-*  
 Eurhyd. *cunq; potû dederit vni ex minimis istis calicem*  
 Matth. *aquæ frigide, tantum in nomine discipuli, amen*  
 10. 42. *dico vobis, non perdet mercedem suam.* Et hoc  
 Iob. 22. 7. obijciat, quibus cælum negabit: *Aquã lassã*  
*non dedisti.* Nemo de vilitate accuset, quod  
 potest esse cælo dignum.

## §. XIII.

*Magni ac multi aquarum laudatores.*

Tanta hæc sunt aquarum emolumenta,  
 alia in homines, alia in pecudes deriuata,  
 vt qui, apud Ægyptios, olim sacerdotia ges-  
 serunt, ad demonstrandã aquæ vim ac præ-  
 stantiam, quoties hydriam tegerent, ad res  
 sacras pertinentem, humi procidentes geni-  
 bus, & manibus ad cælum obuersis, diuinæ  
 ob eius inuentionem, largitati gratias per-  
 foluerent. Simile quid & Sancti fecere. Eo-  
 rum enim vnus dixit: *Dominus super aquas*  
 Vitruu. *multas.* Et rursus: *Dominus regit me, & nihil*  
 lib. 8. cap. *mibi deerit; in loco pascuæ, ibi me collocauit.*  
 4. *Super aquam refectionis educavit me.* Alij, in  
 Psal. 28. 2. medijs ignibus, cecinerunt: *Benedicite aquas*  
 Psal. 22. 2. *omnes, quæ super calos sunt, Domino, laudate eum*  
 Dan. 3. *super exaltate eum in sæcula.* Cygni, cum na-  
 60. *tant;*

rant, alis plaudunt. Exiliunt ipsi pisces, ex  
vndis, in sublime. Et, quasi luderet citharâ  
Arion, feruntur ipsi etiam identidem Del-  
phines, velut per chorū saltitare. Ad eun-  
dem modum, conspectâ aquarum planitie,  
claritate, venustate, Sancti animis exultant.

*Pulchra sanè est species huius elementi, ait S. Ambrosius, vel cùm surgentibus albescit cumulis, ac verticibus undarum, & cautes nivea rorant aspergine; vel cùm aquore crispanti elementioribus auris, & blando serena tranquillitatis purpurascentem prafert colorem.* In opere hoc artifex operis laudatur. Quare & Constantinus Magnus affirmavit, *jugem & continuum fluiorum ex aqua, per occultos illos Dei manu firmatos tubos decursum, nocte dieq; non intermittentem, plurimum habere admirationis, voluisseq; Deum, in re fluxissima, eterna & perpetua vite imaginem mortalibus obijcere.* His de caussis aqua laudabilis, potest, debet, & solet laudari à gratis, & beneficia agnoscētibus. Et tamen scimus, quàm vociferati sint lamentabiliter quidam, vt sibi videbantur Heroës, deplorantes, cum Agamemnone Argynnum, & cum Theodamante, Hercule, ac nautis, *Clamantes, vt littus Hyla, Hyla omne sonaret;* itemque cum alio:

*Me*

S. Ambrosius, l. 3.  
Hexæmetri  
cap. 5.

Constantinus  
Magnus  
orat. ad  
Sanctos.

## CAPVT. VII.

In ipsis etiam Aquarum damnis, periculisque, Deum & iustum, & laudabilem esse.

§. I.

Aquarum vituperatores esse, qui ab aquis damna sunt passi.

Ioan. 2. 5.



Vnt etiam, qui voce, non mente, Prophetæ, clamant: *Abiectus sum a cōspectu oculorum tuorum. Circumdederunt me aquæ, usq; ad animā, abyssus valauit me, pelagus operuit caput meum.* Sunt, qui mare fugiunt, qui flumina execrantur, qui, liberis fatales, puteos Diris deuouent; qui mille coaceruant, in aquam, accusationes. Descenderat Stratonicus Musicus, Pellæ, ad puteum: ibi haurientes rogauit: *Num esset aqua potabilis?* cū dixissent: *Nos istam bibimus: Non est igitur, inquit, potabilis.* quia illos videbat pallidos vultu luridōsq; ; quod interpretabatur malæ valetudinis argumentum, quam eos existimabat non aliunde, nisi ex aqua contraxisse. In effectu causam non falsa suasionē reprehendit. Quod plurimi faciunt, non solum vini potores, & aquæ o-

Athen. in  
Dipnos.

fores